...m beneficij conferas. Mora enim ingratum redditur, & parum
...le, quicquid dederis. *Stob.*
...Iulius Caſſienus dicere ſolebat, ſe quorundam hominum iudi-
...malle, quàm beneficium: quorundam libentius admittere
...ficium, quàm iudicium: quo dicto Seneca aſſeruit, nihil ſe ſub-
...atque inſignius in diſtinguendis maximè & curandis vitijs co-
...iſſe. Quis enim bonorum virorum iudicio & conſilio ſtare
...quam malorum cadere beneficijs? E regione, quis malorum
...m bono iudicio fidere malit, quam bonorum beneficijs, ex
...periculum tibi imminere poſſit. *Senec. de benef. l. 1. c. 1.*
...Democritus, quum animaduertiſſet, quendam quibuslibet
...ſe largientem, & temerè ſuppeditantem: Malè, inquit, pereas,
...Gratias virgines meretrices effeciſti. *Max. ſerm. 8.*
...Alexander regium eſſe affirmabat, à quibus malè audias, in eos
...& multum conferre. Quo innuere voluit, liberalitatem ali-
...ando etiam erga indignos exercendam eſſe. *Pontan. c. 30. de Li-*
...ralitate ex Plutarch.
...Fridericus Cæſar ſæpenumero dicere ſolebat, ſe ex ijs, quos extu-
...t, quam pauciſſimos gratos vidiſſe: idq́ue ex muneribus ſuis
...m eſſe, vt ex fidelibus infideles fierent. *Aen. Syluius libr. 2. com-*
...tar. de rebus geſtis Alphonſi.
Alphonſus rex, oblatrantibus canibus & rebellantibus, offulam
...ijciendam, dictitabat: Intelligens, maleuolos homines beneficijs
vincendos eſſe. *Pontan. c. 30. de liberalitate.*

Anaxilaus interrogatus, quid eſſet in regno beatiſſimum? reſpondit, nunquam vinci beneficijs. *Phauorinus.*

Diogenes à quodam rogatus, quam ob cauſam homines mendicis darent, philoſophis verò nihil largirentur: Quia, inquit, ſe claudos & cæcos fore ſperare poſſunt, philoſophos autem minimè. *Anton. & Max. ſerm. de Beneficentia.*

Idem, quum diſcum oſſibus refertum Alexander ei dono miſiſſet: Eſt quidem, inquit, cibus Cynicus, ſed donum minimè regium. *ibidem.*

Socrates quodam tempore foro reuerſus inter amicos dixit: Emiſſem pallium, ſi nummos habuiſſem. Nihil poſtulauit, tantum verecundè admonuit egeſtatis. Mox inter amicos ambitus erat, à quo Socrates acciperet. Et tamen poſt eam vocem quiſquis properauit, vt ait Seneca. (*lib. 7. de benefic.*) ſero dedit.

Idem, ei cum multa multi offerrent, Aeſchines pauper auditor, Nihil, inquit, te dignum, quod dare tibi poſſim, inuenio, & hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi, quod vnum habeo, Me ipſum. Hoc munus rogo, qualecunque eſt, boni conſulas, cogitesq́ue, alios, cum multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates: Quid ni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, niſi fortè paruo te æſtimas. Habebo itaque curæ, vt te meliorem tibi reddam, quàm accepi. *Senec. lib. 1. de benef.*

Diogenes quibuſdam prædicantibus eius benignitatem, qui Diogeni quiddam donarat: Quin & me, inquit Diogenes, laudatis, qui accipere merui? Plus enim eſt meruiſſe beneficium, quam dediſſe, iuxta illud Publij Mimi: Beneficium dando accepit, qui digno dedit. *Laert. lib. 6.*

Archelaus. Ab Archelao in conuiuio familiaris quidam, ſed parum humanus, petijt ſibi dari poculum. Archelaus autẽ ilico mandauit puero, vt hoc poculum daret Euripidi. Id factum admiranti poſtulatori: Tu quidem, inquit, dignus eras, qui peteres, ne acciperes, vel non petens. Significans, alteri hoc tribuiſſe regiam familiaritatem, vt auderet quiduis petere: at Euripidis boni viri pudorem hoc mereri, vt vltro ei daretur aliquid. *Plut. in apoph.*

Antigonus, Thraſillo Cynico drachmam petenti, non eſt, inquit, munus regium. Cynico ſubijciente: Talentum igitur da: At non eſt, inquit idem Antigonus, Cynicum, ſi tale munus accipias. Quo dicto vtroq; cornu poſtulatoris improbitatem repulit: & docuit interim, dignis tantum beneficium eſſe præſtandum. *Plut. in apoph.*

❡ Similitudines.

Chryſoſtomi, Quemadmodum diuitum filij ornatus gratia aureum monile geſtant in collo, nec id vnquam deponunt, veluti nobilitatis ſignum circumferentes & oſtentantes: Itidem & nos oportet ſemper beneficentia indutos eſſe, declarantes, quod filij ſumus eius, qui miſericors eſt, eius qui ſolem ſuum exoriri facit ſuper bonos ac malos. *Homil. 1. ad Philippenſes.*

Gregorij Niſſæ, Epiſcopi, Quemadmodum illi, qui in ſtultitiæ certaminibus præmia proponunt, tuba liberalitatem ſuam ſignificantes, omnibus in palæſtra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur atque denuntiant: Sic ipſa beneficentia omnes in miſerijs & calamitatibus poſitos ad ſe vocat, non vulnerum & plagarum præmia, ſed ærumnarum & incommodorum remedia & curationem accedentibus impertiens. Hæc eſt omnium laudatarum præſtantiſſima. Hæc eſt felicitatis comes. Hæc aſſidet Deo, & magna eſt cum ipſo neceſſitudine coniuncta. *In orat. de pauperibus amandis, & benignitate comp.*

Epicteti, Quemadmodum faces in portu ſublatæ, magna flamma in paucis cremijs excitata, nauibus per mare errabundis multum auxilij ferunt: Sic & vir egregius in vrbe periclitante paucis rebus contentus, magnis beneficijs ciues afficit. *Apud Stob. ſerm. 43.*

Quemadmodum ſol non expectat preces & præſtigias, vt exoriatur, ſed ilico fulget, ac ſalutatur ab omnibus: Ita neq; tu expectaueris plauſus, ſtrepitus & laudes, vt benefacias, ſed ſponte confer beneficia, & æquè ac ſol amaberis. *Apud Stob. ſerm. 44. de Magiſtratu.*

Senecæ, Quemadmodum acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam, & miſericordiæ genus eſt, citò occidere, quia tormentum vltimum finem ſui ſecum affert: quod antecedit tempus, maxima venturi ſupplicij pars eſt: Ita maior eſt muneris gratia, quo minus diu pependit. Eſt enim bonarum etiam rerum ſollicita expectatio. *lib. 2. de benef. c. 5.*

Sicut in telis eadem ferri vis eſt, ſed in infinitum intereſt, vtrum excuſſo lacerto excutiantur, an remiſſa manu effluant. Gladius idem & ſtringit, & transforat, quam preſſo articulo venerit, refert. Idem eſt, quod datur, ſed intereſt, quomodo detur. *libr. 2. de benef. cap. 6.*

Quemadmodum pulcherrimum opus eſt, etiam inuitos nolentesq́ue ſeruare. Ita rogantibus peſtifera largiri, blandum & affabile odium eſt. *ibid. cap. 14.*

Quomodo mundi officium eſt, circumagere rerum ordinem: quomodo ſolis loca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cadat, & hæc ſalutaria nobis facere ſine præmio: Ita viri officium eſt inter alia, & beneficium dare. *lib. 4. cap. 13. de benef.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quemadmodum aliud in munus, aliud ipſa donatio: aliud qui nauigat, aliud ipſa nauigatio: & quamuis æger non ſit ſine morbo, non tamen idem eſt æger & morbus: Ita aliud eſt beneficium ipſum, aliud quod ad vnumquemque noſtrum beneficium peruenit. *lib.6. c.1. de benef.*

Quomodo multos fortuita ſanant, & in flumen alicui cecidiſſe frigore magno cauſa ſanitatis fuit: quomodo quorundam flagellis quartana diſcuſſa eſt, & metus repentinus animum in aliam curam auertendo ſuſpectas horas fefellit: nec ideo quicquam horum, etiam ſi ſaluti fuit, ſalutare eſt: Sic quædam nobis proſunt, dum volunt, imo, quia nolunt, non tamen ideo illis beneficium debemus. *lib.6. de benef. c.8.*

Quemadmodum in ægris, opportunitas cibi ſalutaris eſt, & aqua tempeſtiuè data remedij locum obtinuit: Ita quamuis leue & vulgare beneficium ſit, ſi præſto fuerit, ſi proximam quamque horam non perdidit, multum ſibi adijcit, gratiamque precioſi, licet lenti & diu cogitati muneris vincit. *lib.2. de benef. c.2.*

Quemadmodum ei qui voluit mihi pecuniam credere & non credidit, nihil debeo: Ita ei qui voluit mihi beneficium dare, ſed non potuit, amicus quidem ero, ſed non obligatus. *libr.6. de benef. cap.11.*

More optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arrident, non ceſſant dij beneficia congerere, de beneficiorum authore dubitantibus, ſed æquali tenore bona ſua per gentes populoſque diſtribuunt, vnam potentiam ſortiti prodeſſe. Spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu mouent, ſiderum curſu notant tempora, hyemesque æſtatesque interuentu lenioris ſpiritus molliunt, errorem labentium animarum placidi ac propitij ferunt. Imitemur illos. Demus, etiamſi multa in irritum data ſint. Demus nihilominus alijs, demus ipſis, apud quos iactura facta eſt. *lib.7. de benef. c.33.*

Plinij. Ficus non floret, cum fructus habeat dulciſſimos: Ita quidam benefaciunt, nihil pollicitantes. *lib.1. c.26.*

Thriueri. Vt calcem accenſam oleo extingues, ignem verò accendes: Ita hominem iratum beneficijs placabis, inuidum verò magis excitabis. *In apoph.*

Multam ac flatulentam aeris tempeſtatem ſæpè nimia pluuia mitigat: Sæpè etiam minimum beneficium inimicitias diſſipat. *In apoph.* 116.

Vt adamas lapis duriſſimus incude rumpitur: ſed ſanguine hircino adhibito mollitur: Ita homo quoque iracundus diſceptationibus accenditur ac diſſoluitur, beneficijs verò affectus placatur. *In apoph.*

¶ Adagia.

Perdidiſti vinum infuſa aqua. ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. *Hom.*

Verba ſunt Polyphemi. Sic enim increpat Vlyſſem vinum aqua temperantem. In eos quadrabit, qui beneficium in aliquem conferentes incommodum aliquod adiungunt, quo dati beneficij fructus voluptasq́ imminuitur.

Capra Scyria. αἲξ Σκυρία.

Conuenit in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adiunctis vitijs contaminant atque obſcurant, quiue rectè inſtituta non rectè finiunt.

Panis lapidoſus. *Seneca lib.2. de benef. c.7.*

Fabius Verrucoſus appellabat beneficium ab homine duro aſperè datum, panem lapidoſum, quem eſurienti neceſſarium ſit accipere, durum & acerbum eſſe.

Ne quod beneficium collocaris in ſenem. *Eraſmus.*

In Chiliadibus, γέροντι μηδὲ πότε μηδὲν χρηστὸν ποιεῖν. *Refertur nominatim prouerbij vice ab Ariſtotele in l.2. Rhetor.* χ. ὅστις συμβουλεύει μὴ ποιεῖσθαι φίλον γέροντα, τούτῳ μαρτυρεῖ ἡ παροιμία μήποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα. *id eſt, Qui conſulit, ne quis cum ſene ineat amicitiam, huic teſtimonij loco eſt prouerbium. Ne quando bene merearis de ſene. Dicitur hodieq́ vulgo. Neque in ſenem, neque in puerum collocandum eſſe beneficium, propterea quod alter non refert, alter non meminit. Extat & huiuſmodi quiddam apud Diogenianum adagium:* μήποτ' εὖ ἔρδειν γέροντας, μηδὲ γυναῖκα, μηδὲ παῖδα, μηδὲ κύνα τινὸς, μηδὲ λάλον κωπηλάτην *id eſt: Ne quid beneficij colloces, neque in ſenes, neq́ in mulierem, neq́ in puerum, neque in canem cuiuſpiam, neque in garrulum remigem: propterea quod perire videatur, quidquid in eiuſmodi genus hominum inſumitur.*

¶ Exempla Sacra.

Beneficentiæ in pauperes exempla, Booz in Ruth, *Ruth* 2.*v*.8.14.15.16.17. Tobias in pauperes, *Tob*.1.19. Iob in pauperes, *Iob* 29.15. Samaritanus in viatorem cæſum, *Luc*.10.34.35. Zachæus in pauperes 19.8. Cornelius in pauperes, *Act*.10.2. Antiocheni infideles Iudææ 11.29. Macedonica Eccleſia in eoſdem, *Rom*.15.26. 2.*Cor*.8.2. Hebræi in pauperes, *Heb*.6.10. Gaius infideles hoſpites, 3.*Ioan*.v.5. Beneficia facilè obliuioni traduntur. *Exempla*: Laban, *Geneſ*.31.5. Pincerna Pharaonis, 40.v.23. Pharao, *Exod*.1.v.8. Ioas rex Iuda. 2. *Paral*.24.v.21.22.

¶ Exempla Profana.

Ludouicus XI. Francorum rex, cum precibus piorum vitæ diuturnitatem ſibi conciliari poſſe perſuaderet, ſacros ho[...] uis maximis affecit beneficijs, præſertim eos, qui vel vi[...] nia vel etiam miraculorum dono præſtarent. *Claud. Seiſ[...]*

Apud Perſas rex, in principio dominatus, quod[...] ret à populo donum ferebat. *Alex. l.4. c.23.*

Porſena rex Hetruſcorum, diſcedens ab Ianiculo, ex[...] caſtra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus [...] uis commeatu, Romanis dono dedit, inopi tum vrbe a[...] obſidione. *Liuius.*

Telegoras apud Naxios prædiues quiſpiam ac prapo[...] quod quotidie multa à Naxijs miſſitarentur: vulgato [...] ceptum eſt, vt venditores paruo licitantibus dicerent: [...] λοιμι τῷ Τελεγόρᾳ δοῦναι, id eſt, malim Telegoræ dare. [...] *Deipnoſophiſtarum* 8. *ex Ariſtot.*

Adrianus Imp. In balneo veteranum quempiam [...] ria, ſeſe marmoribus affricantem conſpicatus, cum [...] quot, & ſumptibus donauit. Quod reliqui veterani feli[...] videntes, cœperunt & ipſi complures ſub oculis imper[...] marmoribus affricare: vt hoc modo principis elicerent [...] tem. At ille euocatis ſenibus, iuſſit vt alius alium vici[...] rent, atque ita pueris nihil opus fore. Is iocus poſtea in [...] lam ceſſit. *Spartianus.*

[A]nacreon, quum auri talentum à Polycrate tyranno [...] alijs id diſtribuit, inquiens, Odi munus quod vigilare [...] *[...]ton. Max. ſermone, de benefic.*

Lacedæmonij, quum Smyrnæis egentibus commeatu[...] atque illi beneficium verbis attollerent, Lacedæmonij [...] interrumpentes, Nil magni eſt, inquiunt: Hæc enim [...] vnius diei prandio, nobis & iumentis detracto. Gratius [...] cium, quod extenuatur ab eo qui confert. Nam qui qu[...] tur exaggerant (qui pleriſque mos eſt) bonam grati[...] mittunt. *Plut in Lacon.*

Epaminondas cuidam egeno mandauit, vt à quodam [...] ipſius talentum peteret, petijt, & accepit. Amico percon[...] iuſſiſſet? Quoniam, inquit, ille cum vir ſit probus, inop[...] tu verò diues es, multa de publico depeculatus. Epami[...] pauper hac ratione ſubuenit egenti. Bonorum enim pro[...] virum bonum egere neceſſarijs. *Eraſ. l 5. apoph.*

Ageſilaus ijs qui clanculum aduerſarentur, palam [...] exhibebat negotium, ſed afficiebat vt ipſum in militiam [...] tur, atque ex his nonnullos duces exercitus ac magiſtra[...] uehebat: qui cum ſe in magiſtratu improbè & auarè ge[...] queín ius vocati periclitarentur: rurſus Ageſilaus illis [...] batur, & ab ipſis ſtabat, atque hac arte reddebat eos e[...] hoſtibus amicos, & ad ſe reuocabat. Quibus rebus [...] tandem neminem haberet aduerſarium. Quid hac pruden[...] lius, qua mederi maleuolis maluit quàm vlciſci? *Plutar[...] conicis.*

Artaxerxes, quum ſibi malum punicum inſignis ma[...] à paupere datum eſſet: Per ſolem, inquit, ciuitatem e[...] guam quam celerrimè facere poſſet, ſi eius fidei credat[...] autem hominis beneficentiam, qui pro fortunæ cond[...] lit regi quod habebat, & gratum putabat. *Bruſonius li[...] capit.* 13.

Philippus, quum Thebis obſes eſſet. Philonis Theba[...] vſus eſt, multiſque inſuper ab eo beneficijs affectus. Is qu[...] ſim à Philippo nihil muneris vellet accipere, Ne me, inq[...] pus, beneficentia ſuperatum hac laude ſpolies, quod h[...] mine beneficijs victus fuerim. O animum imperio dig[...] chrius exiſtimauit, benefaciendo, quam potentia vincere. [...] *in apoph.*

Alexander Taxiles, vnus è numero regum Indiæ, [...] lexandro, ſic illum affatus eſt, Prouoco te, inquit, non a[...] neque ad bellum, ſed ad aliud certaminis genus. Si inferi[...] bis accipe beneficium: ſin ſuperior, nobis benefacito. C[...] der: atqui, inquit, ob hoc ipſum inter nos certandum e[...] faciendo ſuperet alterum. Et humaniſſimè complexus [...] ſolum non ſpoliauit ditione, ſed auxit etiam. *Plut in apoph.*

Alphonſus rex audiens ab amicis, fruſtra in Aluarum, [...] parum gratum, tam infinita beneficia collata eſſe: dixiſſe [...] genti beneficio non niſi ingenti ingratitudine ſatisfieri, [...] ea plures quidem eſſe qui darent: ſed qui dare ſcirent, [...] cos. At non ob id pigrius dandum, aut benefaciendum [...] *lib.2. de rebus geſtis Alphonſi.*

Idem, quum intellexiſſet quoſdam eſſe qui acceptis be[...] planè ingrati eſſent, inquit: ingratos nequaquam effec[...] minus ipſe & humanus & beneficus perſtaret. Innuit au[...] quam prudentis eſſe, ita moueri malorum ingratitudine, [...] nos nil beneficiorum porro conferat. *Pan. l.1. de Alph. reb[...]*

Idem, ſuppliciter à Ioannæ Neapolitanorum reginæ, [...] pe deſtitutæ, oratoribus vt contra Martinum V. Ponti[...] eam indignam, quæ regnum eccleſiæ Romanæ feuda[...] neret, iudicarat, & Ludouicum Andegauenſem Siciliæ r[...] clarauerat) auxilium ferret, rogatus, diſſuadentibus con[...] qui durum & perquam anceps fore bellum dictitarent: [...] Herculem etiam non rogatum laborantibus ſubuenire [...]

[illegible] igitur eſſe, vt ipſe quoque fœminæ afflictæ, & tanto- [illegible] opem ferret. *Pan. lib. 1. de rebus geſtis Alphonſi.*

[illegible]anus, admonitus ab amicis, vt caueret à Meio Pompo- [illegible] de hoc rumor increbuerat, fore vt aliquando regnaret: [illegible] ſibi non metuit ab illo, ſed & conſulem fecit. Id admi- [illegible] amicis: Erit, inquit, olim memor tanti beneficij. *Eraſm. [illegible] apoph.*

Fabricius, quum bellaret contra Pyrrhum regem, medicus Pyr- [illegible] ad Fabricium, ſe regem veneno necaturum, id autem ne [illegible] admonuit Pyrrhum vt ſibi caueret. Pyrrhus, ne fruſtra hoc [illegible] accepiſſe videretur, Fabricij captiuos gratis remiſit, Fa- [illegible] recipere noluit, ſed parem captiuorum numerum et- [illegible] mercedem proditi veneni accipere diceretur. *Plut. in [illegible] apoph.*

❡ Hieroglyphica.

[illegible] beneuolum hominem per *Aſcolopaca*, quam *Gallina-* [illegible] appellant, pictam intelligant: quod auium nullam [illegible] erga hominem ſtudio affici compertum ſit. Magnitudo [illegible] quanta Gallinæ eſt, roſtrum longum, Attagenæ color. *Pier. [illegible] pag. 125. A.*

❡ Apologi.

Cerua & Vitis.

[illegible] fugeret cerua inſequentes venatores, occuluit ſe ſub vite, [illegible] autem paululum prætergreſſis, quod putaret ſe cerua [illegible] tuto, ſecura animi carpere pampinos & mandere cœpit. [illegible] motus atque ſtrepitus venatores conuertit. Atque illi, [illegible] arbitrati ſub vite beſtiam aliquam latere, accurrunt, [illegible] ceruam iaculis configunt. Quæ moriens: Meritò, inquit, [illegible] euenit, quæ violare non dubitarim ſeruatricem meam. [illegible] fabula, vltionem numinis non effugere eos, qui pro bene- [illegible] facta rependant. *Ioach. Camer. lib. fab. pag.* 100.

Canis ſenex.

[illegible] & laudabili opera canis perſtrenui vſus aliquantiſper ve- [illegible]. Deficientibus autem iam viribus, & debilitatis mem- [illegible] ſecius ille tamen ab hoc alacritatem & curſus priſtinos [illegible], & verbis atq; verberibus ceſſantem vrgebat. Cui canis: [illegible] oblitus meritorum meorum, ita in me ſæuus es: Neq; [illegible] quicquam, quod benefecerim, cum facere poſſe de- [illegible].

[illegible] reprehendit hominum prauitatem, in beneficijs obliui- [illegible]. Dicitque idem, quod verſus Homericus:

Οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθεν εὐεργέων, id eſt,
Benefacti gratia rara eſt.

Ioach. Camer. lib. fabul.

Luporum & Ouium pax.

Cum lupis bellum gerebant oues, atque illis adiutæ auxilio ca- [illegible] ſemper pares, ſæpe etiam ſuperiores erant. Lupi, victoria de- [illegible] ad oues legatos mittunt, qui pacem petant. Conditiones fé- [illegible], canes lupis vt obſides darentur ab ouibus, ipſę catulos lu- [illegible] acciperent. Cum de omnibus conueniſſet, pax iuriſiurandi [illegible] confirmatur. Paulo poſt ſecuris ouibus, cum fortè vlularent [illegible] luporum, illi in miſeras & deſtitutas omni ope, quaſi violato- [illegible], qui iniuria obſides acceptos affeciſſent, irruunt, & ita vt [illegible] impunè illas rapiunt atque vorant.

[illegible] fabula, vt eos, à quibus defendi nos ſciamus, diligenter [illegible] velimus. *Ioach. Camer. lib. fab.*

Canis & Cocus.

[illegible] domo quadam ingens conuiuium apparabatur. Inuitat igi- [illegible] domeſticus externum, ſecum vt epuletur. Deductus ex [illegible] culinam, videt omnium rerum ad victum neceſſariarum [illegible] adeſſe copiam, magnas etiam vbique lautitias animad- [illegible] que gaudio plenus: Papæ! quàm opiparè, inquit, hîc nunc [illegible]: tanto ſcilicet me cibo ingurgitare potero, vt ſaturitas [illegible] etiam duratura eſſe videatur. Hæc ille ſecum lætus mur- [illegible], caudam quaſi adulans coquo quaſſat, ille vt ab externo [illegible], arreptum de feneſtra proijcit in viam. Qui cum clamore [illegible] aufugiens, habuit obuium ſibi notum alterum canem. [illegible], qui fuiſſe eum inuitatum foras ſciret, quomodo acce- [illegible] interrogat. Cui alter: Ita inquit, multum potaui, vt ebrius [illegible] ignorem.

[illegible] docet, fidem non habendam ijs, qui de aliorum facultati- [illegible] beneficos ſe futuros eſſe polliceantur. *Ioach. Cam. lib. fab.*

Vide Amor proximi, Liberalitas.

Beneuolentia.

❡ Definitio et Etymol.

Beneuolentia, Græce, εὔνοια, ας, ἡ, εὐνοϊκὸς, ῦ, ὁ, beneuolus di- citur. Et eſt bonorum erga proximum voluntas. Cuius oppo- ſita ſunt odium & inuidia. *Plutarch. libello de inuidia & odio.*

Beneuolentia dicitur εὔνοια, id eſt, bona voluntas. Ita & maleuolentia dicitur κακόνοια, ας, ἡ, quaſi mala voluntas: & κακόνους, ου, ὁ, maleuolus.

Hebr. *Chepheths*, à verbo *Chapheths*, voluptatem habuit, voluit, amore complexus eſt. Hinc Gręc. ἀσπάζω, amo, amplector, bene cupio: ἀβίσσω, cupio, deſidero.

Quid inter φιλίαν & εὔνοιαν interſit, diſputat *Ariſt. lib. 7. Ethic. c. 2. Cic. libr. 2. offic.* vbi de vtilitate cum eius ſpeciebus diſputat, latè beneuolentiæ cauſas proſequitur: oſtendens illas aut eſſe beneuolentiam, aut honorem, aut metum, aut expectationem beneficij, aut pretium & mercedem.

❡ Biblici Loci.

Beneuolentia, Græcis εὐδοκία, pro Dei beneplacito. *Luc.* 2:14. pro gratuito & infinito Dei in electos amore, *Epheſ.* 1. v. 5. 9. pro mutua hominum inter ſe amicitia, qua fit vt alij aliorum commodis ſtudeant, *Rom.* 10. pro charitate, qua homines Deum diligunt. *Philip.* 1. *v.* 15.

❡ Poeticæ Sententiæ.

Hippolyt.
Par odio importuna beneuolentia.
Phæd.
Cum nocet amicus, nihil ab hoſte diſcrepat.
Horat. in Epiſt.
Nil moror officium, quod me grauat.

❡ Sententiæ Philosophicæ

De beneuolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, vt ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur. Sed beneuolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius, & conſtantia iudicemus. *Cic. 1. de offic.*

Sæpè nihil intereſt inter amicorum munera, & hoſtium vota. Quicquid illi accidere optant, in id horum intempeſtiua indulgentia impellit atque inſtruit. Quid autem turpius, quàm quod euenit frequentiſſimè, vt nihil interſit inter odium & beneuolentiam. *Sen. lib. 2. de beneficijs.*

Amantes ſuorum beneuolentia decipiuntur. *Polybius lib.* 1.

Memento igitur, neceſſaria eſſe ad res agendas hominum beneuolentiam: auſteritas verò ſolitudinem amicorum parit. *Plut. Dionyſ. Epiſt.* 4.

Beneuolentia in principes veluti parentes, nos affectos eſſe decet, obedientes, ac venerantes ipſos. Qui aliter ſenſerit, mali conſilij pœnam dabit dæmonibus, qui indigetes & patroni ciuitatis ſunt. Nam etiam principes, patroni & domini ſunt ciuitatis. *Charondas.*

Manſuetudine potius & beneficentia, quàm timore elicienda eſt beneuolentia. *Plutarch.*

❡ Apophthegmata.

Antigonus, amicis ſuadentibus, vt ſi Athenas caperet, validis illam præſidijs communiret, ne quando deficeret: reſpondit ſe ſemper in ea fuiſſe opinione, vt crederet nullum eſſe regni præſidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. *Eraſ. 4. apoph.*

Alexander, quum beneuolentiam ciuium ſibi conciliare cuperet, largitionibus eos corrupit. Verùm cùm hoc audiret pater Philippus: Quæ te, inquit, ratio in iſtam ſpem induxit, fili, vt eos putes tibi fore fideles, quos tibi coemis pecunia. *Plut. in apoph.*

Plutarchus, manſuetudine potius & beneficentia, quàm timore elicienda eſt beneuolentia. *de amicit. apud Stob. ſerm.* 46.

Socrates veſtes (inquit) corporis inconcinnitatem, beneuolentia verò peccatum obtegit. *Stob.*

Alphonſus rex, quum argueretur, quod pro more nullis ſtipatus armis, ſolus obambularet, regiæ maieſtatis immemor: reſpondit, non opus eſſe vt is ſibi timeat, qui ciuium ſuorum beneuolentiam ſatis perſpectam habeat. *Pan. lib. 2. de Alex. reb. geſtis.*

❡ Similitudines.

Laurentij Iuſtiniani patriarchæ, Quemadmodum materialis ignis incendium pedetentim, niſi vnde nutriri valeat, frequenter ſuperadijciatur minuitur: Ita & mutuus mortalium amor, ſi non crebris beneuolentiæ exerceatur officijs: *In ſerm. de Chriſti corpore, ſeu de Euchariſtia.*

Plutarchi, vt fluuius in multos diductus riuos, fluit tenuis ac languidus: Sic beneuolentia in multos diſtracta langueſcit: & euaneſcit. *In Moralibus.*

Vt animantia quæ vnicum pariunt fœtum, vehementius amant: Sic erga vnum ardentior eſt beneuolentia. *In Moralib.*

Quemadmodum adamas aduerſus omnia inuictus hircino ſanguine, eoque calido, ac recenti maceratur, malleo frangitur. Ita quædam ingenia nulla vi peruincas, blanditia emollienda ſunt. *Plin. lib. 37. c. 4.*

Quædam gemmæ aceto maceratæ niteſcunt, pleræque melle decoctæ: ita quoſdam meliores reddit acris obiurgatio, quoſdam admonitio blandior.

Quemadmodum quod in teſſeris cecidit, id arte & ratione quam poteſt

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN